

acusare, et probata acusa per testes, acusator habeat tertium
condempnationis predictæ. ¶ Et quod milites domini potestatis
qui fuerint pro tempore teneantur sacramento in qualibet edo-
mata ad minus semel ire ad dictum staraticum, vel plus sicut
volueri[n]t, ad inquirendum de predictis, et si invenerint ip- 5
sum daciarium vel aliam personam sui nomine in aliquo
contrafacere de predictis, quod acusare possint et eisdem
adhibeatur plena fides, et habeant tertiam partem omnium
condempnationum factarum occasione suarum acusationum.
¶ Insuper quod nulla persona presumat tenere subtus tectum 10
vel cuperturam ipsius sextarium, nec ad dictum sextarium, per
unum pasum comunis circa ipsum, aliquod vas chabiculum
vel urnam, sub pena centum sold. par. pro quolibet contrafa-
tiente, et quilibet possit acusare cum sacramento et habeat
tertiam partem condempnationis. ¶ Salvo quod daciarius dicti 15
sextarii tenere possit chabacula urnas et alia vasa pro usu
forensium, tantum clausa infra staraticum, et non pro usu
civium et habitantium civitatis Tergesti. ¶ Preterea quelibet
persona, conducens bladum in civitatem Tergesti per terram,
251 B ipsum bladum conducere debeant // et teneantur ad dictum 20
sexterium et ipsum ibidem facere mensurare. ¶ Salvo si esset
ante inaratum, et tales inarantes similiter ipsum ad dictum
sexterium mensurare teneantur, et ¹⁾ ipsum furmentum possit
emere quelibet persona non portando extra civitatem Tergesti,
exceptis panicoculis et hospitibus, sub pena viginti sold. par. 25
pro qualibet persona contrafatiente et quolibet stario. ¶ Et nul-
lus rusticus episcopatus civium vel habitatorum civitatis Ter-
gesti presumat portare ad vendendum aliquod bladum extra di-
strictum Tergesti, nec ipsum bladum vendere alicui forensi, sub
pena quadraginta sold. par. pro quolibet stario et qualibet 30
persona contrafatiente. Salvo quod dicti rustici inter se possint
emere [et] vendere secundum quod sibi placuerit.

¹⁾ Aggiunta marginale.